SVB PRÆSIDIO

VNIVERSITATIS ERFORDIENSIS

RECTORIS MAGNIFICI

DN. TOB. JAC. REINHARTHI,

JCTI, SACRI PALATII CÆSAREI COMITIS, JVRID. FACVLT. ASSESSORIS, ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVITATIS SYNDICI ET CONSVLIS,

ANNVENTE

JCTORVM ILLVSTRI ORDINE

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE EO,

QVOD CIRCA

PROBATIONEM DELICTI,

PER DOCVMENTA

JVSTVM EST,

PRO

GRADV DOCTORALI

IN VTROQVE JVRE LEGITIME ADIPISCENDO

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI

HABEBIT

JOANNES DAVID Hassel

NEOSTAD. AD ORLAM SYNDICVS ET ADVOC. IMMATRICVL. SAXON.

DIE V. MAJI A. M DCC XXXII. HOR. VII. MAT. AD IX.

ERFORDIÆ, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

§. I. *Quid sit delictum, & quomodo de illo constare possit, breviter exponitur.*

§. II. *Quid sit Probatio, paucis declaratur, ac de nonnullis ejusdem speciebus agitur.*

§. III. *Probationem per documenta nonnulli in causis criminalibus admittere nolunt, ob* l. 3. §. 3. ff. de Testib. *quæ explicatur.*

§. IV. *Refellitur argumentum ex* l. 6. ff. de Custod. & exh. reor. *desumtum.*

§. V. *Confutatur ratio ex* c. 10. X. de Major. & obed. *petita.*

§. VI. *Occurritur dubio ex Constitutione Criminali Carolina moto.*

§. VII. VIII. *Respondetur argumentis à* Dn. FALCKNERO *imprimis propositis.*

§. IX. *Probationem per documenta causis criminalibus recte adhiberi evincitur.*

§. X. *Et quidem tam per instrumenta Publica, quàm*

§. XI. *Privata, ita tamen, ut delictorum natura & qualitas expendi, assertumque solum de iis accipi debeat, quæ in ipsis tabulis committuntur, quale est Crimen Læsæ Majestatis, quod exemplis Principis* RAGOTZII, BIRONII, THVANI, GROENEFELDII &c. *illustratur.*

§. XII. *Nec non Blasphemia, Atheismi professio, & Hæresis.*

§. XIII. *Itemque Veneficium sive Magia.*

§. XIV.

§. XIV. *Ut & Revelatio dolosa arcanorum alterius.*

§. XV. *Ulterius crimen Falsi huc pertinet.*

§. XVI. *Imo & Plagium, exemplo* CONRADI KAUFFUNGI.

§. XVII. *Nec non Raptus.*

§. XVIII. *Et crimen libelli famosi, itemque injuria scripta.*

§. XIX. *Aliaque plura delicta, ubi scriptura intervenire potest.*

§. XX. *Generaliter denique huc pertinent omnia delicta, quatenus vel alterius mandato committuntur vel ab altero ratihabentur, vel de iis, si non capitalia sint, transigitur.*

§. XXI. *E contrario delicta, quæ extra scripturam committuntur, per instrumenta directo & plene probari non posse ostenditur, idque inprimis exemplo stupri ac adulterii, alterarumque materiarum illustratur.*

§. XXII. *Documenta in ædibus Inquisiti pervestigari & conquiri posse docetur.*

§. XXIII. *Qua cautione opus sit in tali perscrutatione, exponitur.*

§. XXIV. *Documentis repertis, inculpato exhibitis, hic vel eadem recognoscit, & tunc sententia definitiva ferri potest, vel non recognoscit, & jurata diffessio non facile tunc admittitur.*

§. XXV. *Sed comparatio literarum legitime instituenda.*

§. XXVI. *Comparationem istam, cæteris paribus, ad convincendum reum sufficientem esse monetur contra Dn.* HOMBURGIUM.

§. XXVII. *Conclusio.*

DISSER-

DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA

DE

PROBATIONE DELICTORVM PER INSTRVMENTA.

§. I.

D*Elictorum* nomine venire quævis *facta externa voluntaria, contra Legis probibitionem suscepta, vel præceptionem omissa*, tralatitium est. Eos verò, qui talia facta suscipiunt, pœnâ, ab Imperante in Legum temeratores statutâ, afficiendos esse, & civilis & naturalis ratio præcipit. Neque tamen prius capitalis ac severa sententia in quempiam promi debet, nisi is crimen imputatum *confessus*, aut de eodem legitimè *convictus* sit, juxta *l. 16. C. de Pœn.* Add. *Ord. Crim. Carol. art.* 22. ubi: Aus eigenen Bekennen oder Beweisung. *Can. 1. 5. 10. Caus. 2. qu. 1.* Confessio fit à delinquente vel ultro, vel per tormenta extorquetur. Con-

victio

victio autem legitimâ ac plenariâ criminis à reo commissi probatione absolvitur.

§. II.

Probatio in genere est *actus, quo rei dubiæ ac controversæ veritas ostenditur.* Estque vel artificialis, vel inartificialis. Illa ratiocinatione, adeoque præsumtionibus & indiciis expeditur, ac secundum jus Civile, si modo indicia violenta adsint, inter modos probandi crimina non minus referri debet, ita, ut ejusmodi argumentis gravissimis convictus pœna quoque ordinaria plecti queat. *v. l. f. C. de Probat.* ubi: *vel indiciis ad probationem indubitatis. l. 34. C. ad L. Jul. de Adulter.* ubi: *indiciis evidentibus.* Quamvis jure Germanico secus sit, secundum quod nemo solis indiciis convinci, nec proin pœna ordinaria affici, sed tormentis solum & quæstionibus subjici potest. *v. Ord. Crim. Carol. art. 22.* ubi: Daß niemand auf einigerley Anzeigung, Argwohn, Wahrzeichen oder Verdacht zu peinlicher Straff soll verurtheilet werden, sondern allein peinlich mag man darauf fragen. Conf. *Ill. Dn.* BOEHMER. *Jus Eccles. Prot. L. V. tit. 1. §. 77. 78. 79.* Hæc è contrario vel *testibus*, vel *instrumentis* sive documentis peragitur. Prior modus *per testes* probandi maleficium, sine omni dubitatione receptus, ac in Legibus probatus est. *c. l. f. C. de Probat.* ubi: *idoneis testibus. Ord. Crim. Carol. art. 67.* ubi: Mit zweyen oder dreyen glaubhafftigen guten Zeugen. Num vero delictum *per Instrumenta* quoque plene probari possit, non usque quaque expeditum videtur.

§. III.

§. III.

Enimvero non pauci ex Interpp. exiſtimant, hoc probandi genus ad reum criminis convincendum plane inſufficiens & inidoneum eſſe, quos inter poſt CYNUM, BALDUM, SALYCETUM, aliosque à BRUNNEMANNO *de Inquiſit. Proc. c. 8. m. 2. n. 3.* nominatos, etiam referri debet GEORG. KEYSER. *in Pr. Crim. P. 1. c. 6. §. 11. n. 5.* nec non Dn. FALCKNER. *in Diſſert. de eo quod juſtum eſt circa Inquiſit. convinc. §. 33. ſqq.* Pro qua ſententia ſtabilienda potiſſimum I) allegatur *l. 3. §. 3. ff. de Teſtib.* ubi Imperator HADRIANUS Proconſuli Macedoniæ reſcripſiſſe memoratur, *teſtibus ſe, non teſtimoniis crediturum.* & mox deinde: *teſtimoniis apud ſe locum non eſſe,* in cauſa videlicet criminali, de qua Reſcriptum illud conceptum erat. Verum enim vero Imperator heic non de inſtrumentis, quaſi illorum fidei in cauſis criminalibus detrahere vellet, ſed ſolum de *teſtimoniis,* hoc eſt, ſcriptis teſtium atteſtatis, ad fidem faciendam exhibitis, loquitur, ſtatuitque, in caſu ſi teſtes adſint, per quos quis crimen alteri objectum probare velit, non credendum eſſe ſcriptis eorum teſtimoniis, ſed teſtes ipſos producendos, atque interrogandos eſſe; id quod non modo ex *ſequ. §. 4. c. l. 3.* dilucidius apparet, ubi idem Princeps ait: *Alia eſt auctoritas* PRÆSENTIUM *teſtium: alia* TESTIMONIORUM, *quæ recitari ſolent.* Sed & præterea ex *Novell. 90. c. 5. inf.* plus quam manifeſtum eſt.

§. IV.

Deinde II) ad corroborandam dictam ſententiam adferri ſolet textus in *l. 6. ff. de Cuſtod. & exhib. reor.* ubi aſ-

 ſeri-

ſcritur, *non eſſe utique epiſtolis eorum credendum, qui quaſi damnatos ad Præſidem remiſerint, idemque de Irenarchis præceptum eſſe, quia non omnes ex fide bona elogia ſcribere compertum ſit.* Verum facile eſt ad intelligendum, ſermonem ibi eſſe de inſtrumento, non ab ipſo delinquente, ſed ab alio confecto, quod utique illum criminis imputati convincere nequit. Nos vero potiſſimum agimus de documento ab ipſo maleficii reo conſcripto, cui fides in *c. l.* haud quaquam denegatur.

§. V.

Nec III) plus ponderis habet, quod ex *c. cum in ecclefiis 10. X. de Majorit. & obed.* deducitur, argumentum, utut plures illud urgere ſoleant, teſte JVL. CLARO *ſent. lib. 5. §. f. qu. 54. n. 1.* Quamvis enim illi Canonici, qui Prioris ſui mandatis parere recuſaverant, & ideo excommunicationis ſententiam meruerant, poſteaquam ad Pontificem acceſſiſſent, abſolutionis beneficium ab eodem impetraſſent: attamen illud non ex ea cauſa factum, quod contumacia eorum per ſcripturas autenticas productas non ſatis probata eſſet, quod nullibi dicitur, imo potius contrarium ex toto contextu non obſcure colligitur, ſed quia memorati Canonici obedientiam in futurum promiſerant, hancque promiſſionem mediante juramento corporali firmaverant.

§. VI.

Sed & IV) ipſa *Ordinatio Criminal. Carolina* heic in partes vocatur, quæ tantum non ubique, ubi de probatione vel indiciorum vel criminis ipſius diſponit, teſtium mentionem injicit, *v. art. 23. 30. 67. & alibi:* Un-

de

de inferri posse videtur, probationem per documenta pro insufficiente habitam, & proin exclusam esse. Sed cum unius positio non statim sit alterius exclusio; quam infirma sit hæc illatio, illico patet. *Add.* KRESS, *ad Const. Crimin. art. 65. §. 1. n. 2. p. m. 116.*

§. VII.

Alia adhuc argumentandi ratione V) utitur Dn. FALCKNER. *c. l.* existimans, quia in delictis utplurimum privatæ scripturæ, e. g. literæ manu Inquisiti exaratæ, producantur, illas eo minus vim aliquam probandi habere posse, quo certius constet, talia instrumenta nec adversus scribentem, etiam in causis civilibus, plenam fidem facere, & hinc recognitionem, jure Imperii nostri, tanquam essentiale adminiculum, introductam esse. Sed sicuti ultro admittimus, instrumentum privatum nec contra scribentem plene probare, nisi certo constet, quod is illud scripserit: ita nulla ratio suppetit, quare, si suspectus de crimine literas maleficium prodentes recognoverit, & sua manu scriptas esse fassus sit, quod regulariter fieri debere non diffitemur, de veritate rei adhuc dubitari, vel major certitudo ad condemnandum reum desiderari debeat.

§. VIII.

Sed instat VI) laudatus Dn. FALCKNER. *c. l. §. 34.* quamvis concedatur, posse delictum per instrumentum probari, ita, ut ex eodem de corpore delicti Judici liquido constare queat, suspectum tamen non posse criminis inculpati ex illo convinci, si recognitionem documenti producti recuset; comparationem literarum autem, quam eo in casu instituendam esse vulgo con-

tendant, fallax admodum & debile præbere indicium. Verum enim vero quemadmodum comparatio literarum, juxta Legum ordinationem facta, reo convincendo satis idonea, jure communi, censetur, de qua re paulo inferius plura differemus: ita si vel maxime semel iterumque fallere possit, inde tamen instrumentum, quod prævia tali comparatione à reo conscriptum esse judicatur, vim probandi, reumque convincendi non magis amittere dicendum est, quàm quidem depositiones testium, quæ præfracte ab Inquisito negantur, ideo vim suam perdunt, quod exempla adferri possint, ubi testes subornati falsum testimonium dixerint, eoque ipso effecerint, ut innocens ad supplicium raptus sit. *v. l. 1. §. 1. ff. ad L. Cornel. de sicar.*

§. IX.

Quandoquidem igitur ex dictis patesit, Leges probationem delictorum, per documenta quæ fit, non improbare, vel respuere: hinc rectius omnino sentiunt, qui omnis generis maleficia, quæ vel per scripturam contrahuntur, vel ubi alias scriptura intervenit, per documenta, cæteris paribus, plene vel juxta delicti & circumstantiarum qualitatem saltem semiplene probari, reumque ex iis commissi criminis in totumve ex parte convinci posse autumant, quorum ex numero post ANTON. MATHÆI *de Crimin. ad L. 48. t. 15. c. 5.* hoc loco BRVNNEMANNVM *de Inquisit. Proc. c. 8. m. 2. n. 3. sqq.* LVDOVICI in der Einleitung zum Peinl. Proceß *c. 6. §. 5.* & Ill. Dn. BOEHMERVM *in Jur. Eccl. Prot. L. 5. t. 1. §. 76.* allegasse suffecerit. Nititur hæc doctrina 1) dispositione expressa *l. f. C. de*

pro-

probat. ubi instrumenta apertissima in criminibus probandis expresse admittuntur, & testibus æquiparantur; adhæc 2) in *l. 15. C. de Fide Instrum.* diserte habetur, in exercendis litibus eandem vim obtinere tam fidem instrumentorum, quam depositiones testium. Vocabulum *litis* autem, quod heic occurrit, civilibus æque ac criminalibus causis, commune esse, ex *l. 3. C. de his qui accusare non poss.* & *l. 20. ff. de Accusat.* elucet. Ulterius 3) *l. 2. C. quorum appell. non recip.* perspicue innuit, non modo testibus productis, sed etiam *instrumentis prolatis*, posse sententiam condemnatoriam contra reum ferri, huncque ejusmodi quoque argumentis, quæ ex documento desumuntur, convinci. Unde etiam 4) ubi forte falsi examen inciderit, acerrimam indagationem argumentis, testibus, scripturarum collatione, aliisque vestigiis veritatis, instituendam esse præcipitur in *l. 22. C. ad L. Cornel. de Fals.* Quem probandi modum 5) Ordinatio Crim. Carolina non modo non improbat. *v. §. 6.* sed & hoc ipso non obscure confirmat, dum in *art. 62.* cavet, quod, si reus crimen ei objectum neget, & accusator probationem offerat, hic juxta Legum præscriptum admitti debeat, als recht ist, quæ verba generaliter de quavis probatione Legibus recepta, qualis secundum tradita etiam est illa, quæ per documenta idonea suscipitur, intelligenda esse, recte observat CLASENIUS *ad c. Ord. Crim. art. 62. p. 223.*

§. X.

Sunt autem Instrumenta vel Publica, vel Privata. Ex illis ad præsentem tractationem potissimum spe-

ſpectant Judicialia, quae ſcil. vel ſuper confeſſione delinquentis, in judicio facta, conſcripta ſunt, vel ſententiam condemnatoriam, praevia rei convictione latam, continent, per quae quin plene delictum probari queat, ambigendum non eſt. *L. B. de* LYNCKER *in Anal. ad Struv. Tit. de Accuſ. & Inſcript. th. 8.* CLASEN. *ad Ord. Crim. Carol. art. 62. p. 224.* Sic cum in Jure Feudali cautum ſit, Vaſallum Dominum ſuum accuſare, vel teſtimonium contra eum reddere non debere, praeſertim in cauſa Criminali, & ſi contra fecerit, feudo privandum eſſe. *II. F. 33. §. ſimiliter.* haec feloniae ſpecies ex Actis judicialibus, in quibus vel accuſatio, vel depoſitio Vaſalli continetur, optime probari poterit.

§. XI.

Inſtrumenta vero Privata quod attinet, ante omnia obſervandum eſt, delicta, de quorum probatione per ejusmodi documenta agitur, duplicis generis eſſe. Alia enim in ipſis tabulis committuntur, eorumque velut eſſentia ſcriptura abſolvitur, ſive, ut verbis JUL. CLARI *Sentent. l. 5. §. f. qu. 54. n. 1.* utar, in facto incorporato & connexo ipſi inſtrumento conſiſtunt: Alia ex diverſo extra ſcripturam committuntur, ita, ut ad eorum conſummationem ſcriptura non ſufficiat, ſed maleficium perpetratum per literas ſolum prodatur. Prioris generis delicta per inſtrumenta manu delinquentis conſcripta probari poſſe, pro explorato habemus: quo pertinet 1) CRIMEN LAESAE MAJESTATIS. Appoſitè VLPIANVS *in l. 1. §. 1. ff. ad L. Jul. Majeſt.* crimen hoc ab eo etiam committi aſſerit,

rit, qui hoſtibus nuntium *literasque* miſerit, ſignumve dederit, feceritve dolo malo, quo hoſtes conſilio juventur adverſus Rempubl. Unde conſpirationes ſæpe ex miſſivis detectas eſſe rectiſſime cenſet BRVNNEMANNVS *de Inquiſit. Proc. c. 8. m. 2. n. 3.* Exemplum præbet Princeps RAGOTZIVS, qui conſpirationis contra LEOPOLDVM Imperatorem factæ, ex literis propria ipſius manu ad Regem Galliæ LVDOVICVM XIV. ſcriptis, & à LONGVEVALLIO, Nobile Lotharingo & Centurione Cæſareo, cui is eas perferendas tradiderat, Imperatori, ſingulari in ipſum fide, exhibitis convictus eſt. vid. RINCK. Leben Leopoldi *p. 1440. ſqq.* Eodem pene modo BIRONIVS, Mareſchallus Franciæ, conſpirationis contra HENRICVM IV. Galliæ Regem conceptæ, conſors judicatus fuit, quod literæ manu ejus exaratæ, ex quibus de BIRONII & complicum molitionibus ſatis conſtabat, in manus Regis perveniſſent, & ab illo pro ſuis recognitæ eſſent, id quod prolixè refert PEREFIXE *dans ſon Hiſtoire du Roy Henri le Grand p. 358. ſqq.* Nec multum ab eo abludit exemplum MARIAE, Scotiæ quondam Reginæ, de quo videri poteſt CAMDENVS *in Rerum Angl. & Hibern. Annalib. regnante Eliſab. p. 432. ſqq.* Ut ſexcenta alia, quæ adhuc commemorari potuiſſent, brevitatis ſtudio nunc præteream. Quoniam porro criminis læſæ Majeſtatis rei etiam perhibentur illi, qui ſciunt, nonnullos machinari aliquid contra Principem, & illud tamen non revelant, qualis ſcientia & reticentia fatalis admodum fuit FRANCISCO AVGVSTO THVANO, de quo conf. VASSOR. *T. X. P. 2. p. 644. ſqq.* nec non GROE-

NEVELDIO, filio natu maximo celeberrimi in Historia Belgica JOHANNIS BARNEVELDII, de quo v. AVBERY *Memoires pour servir à l' Histoire de Hollande p. 315.* inde porro consequitur, posse & hac ratione crimen læsæ Majestatis ex literis, ex quibus de scientia alicujus constare potest, sufficienter probari.

§. XII.

Deinde II) in hunc censum venit crimen LÆSÆ MAJESTATIS DIVINÆ, quod alias Blasphemia audit, & sine dubio scripturâ quoque committi potest. Plane relatum equidem memini, miserum quendam Philosophum, Naturalistarum perniciosis principiis imbutum, sed eo nomine à fratre amice correptum, in literis responsoriis dira quædam contra Sanctissimum nostrum Servatorem CHRISTVM, ejusqe Evangelium evomuisse, ex quibus ille abunde de crimine Blasphemiæ convinci potuisset, nisi frater literas istas igni tradidisset. Pertinet huc etiam crimen *Atheismi*, & ejus *Professio*, de qua nimis crebro ex libris in vulgus editis constat. Exemplum novissimum, quod anno 1717. contigit, ituitu AVCTORIS *Meditationum Philosophicarum de Deo, Mundo, Homine*, exhibet THOMASIVS in Juristischen Händeln, *P. I. c. 24. p. 233. seqq.* Ulterius non desunt, qui crimen *Haereseos* in genere ad hanc classem referunt, idque, cum in animo consistat, per instrumentum, in quo quis asserit aliquod hæreticum optime probari posse censent, cum JVLIO CLARO *c. l. qu. 54. n. 1.*

§. XIII.

§. XIII.

Neque porro III) crimen VENEFICII ſive MAGIÆ ab hac tractatione alienum eſſe putamus. Memorabilem caſum refert Dn. FRANCKENSTEIN. *in Diſſ. de Rigore Pœnarum militari per æquit. temperando Sect. 2. §. 4.* de milite quodam, qui cum Satana pactum initurus, ſyngrapham conſcripſerat, vi cujus Diabolo ſe mancipaverat ad XXIV. annos, eâ lege & conditione, ut ſibi per ſingulas ſeptimanas 50. Imperiales adferret, quo heluonem agere, omnisque generis voluptaribus perpetuis perfluere poſſet. Cum vero literæ hæ à milite in locum quendam conjectæ, ab ipſius hoſpite inventæ & ſuperioribus traditæ eſſent, à Judicibus militaribus pronuntiatum fuit: Daß Arreſtat zuförderſt einem Geiſtlichen .... zu untergeben, nachgehends aber ſeiner begangenen Bosheit halber mit 12. mahligen Gaſſen-Lauffen durch 300. Mann 2. Tage nach einander zu beſtraffen ſey. Quamvis pœna hæc poſtea Ao. 1725. in 8. mahligen Gaſſen-Lauffen durch 300. Mann und 1. Jahr Veſtungs-Bau in die 2. Claſſe, mutata fuerit.

§. XIV.

Peculiare delictum IV) conſtituit REVELATIO DOLOSA ARCANORUM alterius. De Vaſallis *1. F. 17.* expreſſe ſtatutum, quod ſi credentiam Seniorum ad eorum damnum ſcienter manifeſtaverint, beneficio ſuo carere debeant. V. RHETIUS *ad cit. c. 17. p. 419. ſqq.* Talem vero revelationem à Vaſallo factam, eumque proin Feloniæ reum eſſe, ex literis ab eodem ad hoſtes Domini miſſis & interceptis omnino argui poteſt. Add. SCHRADER. *Tract. Feud. P. IX. c. 5.*

§. XV.

Devenio nunc V) ad crimen *Falsi*, quod uti sæpe scriptura committitur: ita quoque ex literis seu instrumentis probatur. Sic enim MARCIANVS in *l. 1. pr. ff. de L. Cornel. de Fals.* testatur, pœnam Legis Corneliæ irrogari ei, *qui testimonia* (i.e. juxta interpretationem CORNELII VAN BYNKERSHOEK. *Observat. Jur. Rom. L. 3. c. 18.* testamenta) *falsa inspicienda dolo malo confecerit.* IDEM *in c. l. 1. §. 4.* refert, Imperatorem Severum lege Cornelia de falsis damnasse Præfectum Ægypti, quod in instrumentis suis, cum præesset provinciæ, falsum fecerit. Sed & eadem Lege tenetur, qui sibi legatum vel fideicommissum adscribit *c. l. 1. §. 7. l. 6. ff. eod.* Add. *l. 23. 25. ff. & l. 22. C. eod. l. 29. in f. C. de Testam. l. 14. §. 3. C. de SS. Eccles. 11. F. 52. §. 1.* Et quis est quem fugiat, quod mendicantes persæpe falsis ejusmodi literis & attestatis, quasi scilicet bona eorum igne essent absumta, utantur? quod ad impetrandam benedictionem sacerdotalem falsa sæpe instrumenta & testimonia effingantur & in Consistoriis producantur? in quibus & infinitis aliis falsi generibus delinquentes sæpe ex ejusmodi documentis, sua manu scriptis, convictos & promerita pœna affectos esse, experientia testatur. Add. KRESS. *ad Const. Crim. Carol. art. 112 & 113. p. 204. sqv.* Peculiare adhuc exemplum designatoris cujusdam hospitiorum, quem *Fourier* vocant, qui profugis quibusdam militibus supposititia missionis impetratæ testimonia conscripserat, allegat Dn. FRANCKENSTEIN. *c. Diss. Sect. 2. §. 9.*

§. XVI.

§. XVI.

Sed & VI) in crimine *Plagii* locus esse potest probationi per documenta. Sine dubio enim hujus delicti reus est, qui ope consiliove ad id concurrit, *l. pen. §. f. ff. ad L. Fab. de Plagiar.* & plagiarium, quando & qua ratione liberum hominem lucri faciendi causa abducere queat, literis instruit. Factum id esse in detestabili illo Plagio, quod CONRADUS KAUFFUNGUS intuitu Principum Saxoniæ ERNESTI & ALBERTI inaudito fere exemplo suscepit, à JOHANNE SCHWALBIO, testis est HENR. LEON. SCHURZFLEISCHIUS, *in Diss. de Conrado Kauffungo, Raptore Principum p. 44. 45.* ubi de prædicto nequissimo homine memorat, quod literis ad Plagiarium datis, eum de abitu Electoris, aliisque circumstantiis, perficiendo sceleri oportunis, certiorem reddiderit. Qualia exempla forte hodienum heic & nunc occurrunt, quibus casibus ex ejusmodi scriptis epistolis veritas rei omnino detegi poterit.

§. XVII.

Eadem prorsus VII) de *Raptu* dicenda esse existimamus. Certe *in l. Un. §. 2. C. de Raptu Virg.* expresse disponitur, *omnes, qui conscii & ministri hujusmodi criminis reperti & convicti fuerint, vel qui eos susceperint, vel quicunque opem eis tulerint, sive masculi sive fœminæ sint: pœnæ capitali subjiciendos esse.* Unde Præfectum quendam militiæ, eo quod virgini honestæ hoc delictum literis persuaserit, viamque ejus exequendi & perficiendi ostenderit, ex iisdem criminis hujus convictum & conde-

mnatum fuiſſe, docet L. B. de LYNCKER. *Reſp. CXLIII. n. 37. 38.*

§. XVIII.

Præterea VIII) ſi quis *libellum famoſum* in alterius injuriam conficiat, vel ab alio confectum deſcribat, ac ſua manu deſcriptum cum aliis communicet: probationem quoque per documenta locum invenire poſſe, nemo non videt. Exemplum memorabile ACTA *in Cauſa Hændeliana* typis vulgata ſuppeditant. Nec aliud dicendum de *injuria ſcripta*, quo pertinet, ſi partes litigantes in ſcriptis, quæ in Judicio exhibent, mutuis ſe injuriis proſcindant, vel alterutra ſolum partem adverſam injuriis laceſſat, qua de re *vid. L. B. à* LYNCKER. *Reſponſ. CXLIV. n. 41. ſqq.* Sic hoc ipſo, quo in hac urbe commoror, tempore comperi, militem quendam in literis alteri traditis paucos ante dies ſe jactaſſe, quod virgini cuidam honeſtæ aliquoties ſtuprum intulerit: id quod dum illa reſcivit, ægerrime tulit, ac de gravi hac injuria ſibi illata coram Judicio militari conqueſta eſt, obtinuitque, ut miles ille ex literis ſua manu conſcriptis convictus, pœnas promeritas lueret.

§. XIX.

Sunt adhuc alia delicta plurima, quæ ex documentis detegi, reusque ex iis convinci poteſt, veluti IX) crimen *Diffidationis*, ex literis minas ſparſas complectentibus, nec non X) crimen *Concuſſionis*, ex literis quibus quis ſimulato Præſidis juſſu terretur, porro XI) crimen *Ambitus* & *Simoniæ*, ex epiſtola, in qua quis pecuniam conſequendi officii cauſa obtulit: nec minus

XII)

XII) crimen *Repetundarum*, ex rationibus ab officiali exhibitis, ulterius XIII) crimen *Corruptionis Judicis*, ex literis, quibus quid offertur Judici, quo magis vel minus officium faciat, denique XIV) delictum *usurariæ pravitatis*, ex instrumento super contractu usurario confecto, de quibus omnibus copiose agere, instituti nostri ratio prohibet.

§. XX.

Hoc tamen adhuc observandum, posse quævis delicta, quæ ex alterius mandato committuntur, quoad mandantem, ex ipso mandato, literis consignato, probari. Sic e. g. homicidium alteri injunctum ex *literis Uriæ*, uti vocantur in *c. 33. X. de Offic. & Potest. Jud. deleg.* intuitu mandantis probari potest. *Conf.* HOMBORGII *Dissert. de literis Bellerophont. hab. Erf. 1701.* Deinde quatenus quis se participem reddit criminis perpetrati per ratificationem ejusdem, probatio quoque per instrumenta, si illa ratificatio in scriptis forte facta sit, expediri poterit. JVL. CLAR. *c. qu. 54. n. 1.* Tandem cum super delictis non capitalibus transigere adeo permissum non sit, ut transigens regulariter pro confesso & convicto habeatur, *l. 4. §. 5. & l. 5. ff. de His, qui notant. infam.* Inde ultro consequitur, quod ex instrumento Transactionis in ejusmodi casibus quis plene convinci, & delicti reus argui queat.

§. XXI.

Proximum est, ut juxta partitionem §vo II. factam de illis quoque delictis paucis dispiciamus, quæ extra scripturam committuntur, nec in facto ipsi instrumento innexo consistunt; qualia delicta ex instru-

men-

mentis directo & plene probari vix posse, non infitiamur; quod si tamen quis in codicillis ad aliquem scriptis delictum confessus sit, tunc ex illis, utpote confessionem extrajudicialem continentibus, posse, cæteris paribus, indicium ad torturam sufficiens probari simul in propatulo est. v. *Ord. Crim. Carol. art. 32.* Dn. BOEHMER. *J. Eccles. Prot. L. V. t. 1. §. 76.* BEYER. *Posit. Jur. Criminal. ad O. C. C. art. 62. n. 40.* Atque inter ejusmodi crimina referri debet crimen *Homicidii, Furti, Fabricationis falsæ monetæ,* & alia. De delictis carnis autem, e. g. stupro, adulterio &c. quæritur, annon ex *literis amatoriis,* Buhlen- oder Liebes-Briefen, sufficienter ac plene, quoad processum *criminalem,* probari queant? Affirmativam olim tuitus est NICOLAVS de PASSERIBVS *l. 3. de Script. Privat. p. 526.* relatus à L. B. de LYNCKER *in Respons. XXX. n. 9.* qui tamen rectius Negativam defendit, & indicium solum grave, quod ad torturam, aliis adhuc concurrentibus, sufficere potest, inde erui posse censet. Aliud tamen dicendum foret, si ageretur solum *civiliter* ex adulterio v. g. ad dissolvendum matrimonium; tunc enim literas amatorias illi probando sufficere, optime putat idem de LYNCKER *c. Resp. n. 10.* Dein quando delictum ipsis literis amatoriis perficitur, quod nonnunquam fit, veluti si Vasallus ad uxorem Domini tales literas mittat, & ita turpiter cum ea ludendo Feloniam committat, illæ ad probandum delictum sine omni dubitatione idoneæ sunt atque sufficientes. Unde BESOLDVS *in Thes. Pract.* v. Buhlen-Brief, non absone judicat, Vasallum, si ejusmodi epistolis ad expugnandam pudicitiam uxoris Domini usus

fuerit,

fuerit, feudo denudari, licet effectu ſceleris potiri non potuerit. v. MASCOV. *Diſſert. de Præcip. Felon. Specieb. §. 11.* SCHWARTZII *Diſſert. de Felonia Vaſalli ex Cauſa Adulter. & Stupr. c. 1. §. 16.* Quod etiam ratione ſponſæ Domini locum habet. SCHWARTZ. *c. l. §. 20.* De cætero ſi ad filiam Domini, vel ſororem, vel neptem tales literas amatorias direxerit Vaſallus, ideo feudo privandus non eſt, cum ratione harum perſonarum conſummatio intentati ſtupri requiratur, teſte SCHWARTZ. *c. l. c. 2. §. 9.* HORNIO *in Juriſpr. Feud. c. 23. §. 10.* quæ tamen epiſtolis probari nequit.

§. XXII.

Evictum hucusque eſt, quod probatio per documenta in cauſis quoque criminalibus adhiberi poſſit, & quod plura delicta, utut diverſo quodammodo pro eorum indole & qualitate effectu, eandem admittant: Nunc, quomodo hæc probatio expedienda ſit, breviſſimis ex inſtituti ratione expendendum eſt. Et primo quidem ante omnia opera danda eſt Judici, in delictum inquirenti, ut inſtrumenta, ex quibus ſuſpectus de crimine patrato convinci poſſit, conſequatur: quâ in re inſignis differentia inter cauſas civiles & criminales deprehenditur. In illis quippe non oportet originem petitionis ex inſtrumentis ejus, qui convenitur, fundari, præcipiente ALEXANDRO Imp. in *l. f. C. de Edend.* atque adeo reus regulariter nulla inſtrumenta actori edere compellitur: *Dd. ad Tit. ff. de Edend.* Sed in his Judex, capto reo, ſuſpicionibus & indiciis gravato, ejus ædes & ſcripturas mox conſignare, literaria documenta perveſtigare, & num ex illis quædam, quæ illum e. g. commercii cum hoſtibus clam inſtituti con-

vin-

vincant, reperiantur, inquirere poteſt. Id quod non ſolum uſu fori probatur, ſed & manifeſta æquitate, & publicæ ſalutis ratione nititur. Plane ſi res furtivas in ædibus eorum, qui ſuſpecti hactenus ſunt, perveſtigare licet; quare nefas haberetur, alia inſtrumenta literaria, ex quibus delinquens convinci poſſit, in ejus ædibus perquirere? V. L. B. de LYNCKER: *Reſp. CXCIX. n. 4. 5.* BRVNNEM. *de Inquiſ. Proc. c. 8. m. 2. n. 7. ſqq.*

§. XXIII.

Circa ipſam vero ejusmodi documentorum perſcrutationem ſumma circumſpectione opus eſt. Quod ſi enim nonnulla inveniantur, quæ ſuſpectum criminis inculpati reum arguere poſſint, opera inprimis danda eſt, ut reperta inſtrumenta cum omnibus ſuis qualitatibus, aliisque concurrentibus circumſtantiis, quantum fieri poteſt, dilucidè deſcribantur, & ſigno aliquo notentur, vel plane conſignentur, imo etiam teſtes cum Notario adhibeantur, ne poſtea Inquiſitus negare poſſit, documentum exhibitum in ædibus ſuis extitiſſe, quod opportune ex AMBROSINO monet BRVNNEMANN. *c. l. n. 13. 14. 15.*

§. XXIV.

Quod ſi igitur literæ Inquiſitum gravantes repertæ, & eo, uti dictum eſt, modo legitime notatæ ſint: eæ porro Inquiſito exhibendæ, isque interrogandus eſt, utrum illas recognoſcat, nec ne? Facta recognitione, crimen pro delictorum diverſitate ſupra expoſita, vel plene vel ſemiplene probatum cenſeri debet, & hinc vel condemnatio rei, ad pœnam in delictum ſtatutam, vel ad torturam inſequi poteſt. Ex diverſo, ſi reus literas manu ſua ſcriptas eſſe negat, jurata diffeſſio, in

civili-

civilibus causis alias obtinet, in delictis levioribus quidem pariter locum habere potest, in gravioribus vero, ob præsentissimum metum perjurii, vix ac ne vix quidem admitti debet, unde Judicem de alio modo veritatem indagandi sollicitum esse oportet.

§. XXV.

Nimirum comparatio tunc literarum, si fieri possit, instituenda, & annon Inquisitus mediante illa convinci queat, dispiciendum est. Sedes hujus materiæ in *l. 20. C. de Fide Instrum.* nec non *Novell. 73. c. 7.* maximè quærenda; ex quibus textibus simul cognosci potest, quo modo ista comparatio legitime fieri debeat. Scilicet 1) requiritur, ut scriptura, ex qua comparatio instituenda, autèntica sit, ita, ut liquidissime constet, ejus, qui eam scripsisse dicitur, manu illam exaratam esse: constare autem de hoc potest, si illa vel publice confecta, vel à tribus testibus manum suam recognoscentibus, subscripta, vel alias ab Inquisito, tanquam propria manu scripta, in judicio producta sit. Deinde 2) adhiberi debent duo in arte scribendi periti, qui juramento antea præstito, quod neque lucri causa, neque inimicitiis, neque gratia tenti, hujusmodi facere velint comparationem, singulos literarum ductus tàm in instrumento liquido quam dubio probe conferant, & de similitudine characterum una cùm Judice cognoscant; quâ collatione facta 3) periti illi judici referre, ac deponere debent, se credere, scripturam controversam ab eo, de quo quæritur, profectam, ejusque manu conscriptam esse. *v. cc. text. & Nov. 49. c. 2.*

§. XXVI.

Num vero ex tali literarum comparatione Inquisitus plene convinci & pœna ordinaria in casibus scilicet, ubi delictum directo & plenè ex literis probari potest, queat, multis adhuc dubium videtur, allegantibus partim gravitatem causarum criminalium, quæ probationes luce meridiana clariores requirunt *l. f. C. de Prob.* partim incertitudinem hujus comparationis, cum constet, multos posse alie-

nam

nam ſcripturam adeo imitari, ut eadem pene manus videatur, ſæpeque accidere, ut ejusdem ſcriptoris diſſimiles ſcripturæ exiſtant, vel quod ætas & morbus ſæpe manum mutent, vel quod uno eodemque tempore diverſitas atramenti aut calami diſſimilitudinem ſcriptionis pariat. v. *ſupra §. 8.* GVDELINVS *de Jur. Noviſſ. l. 4. c. 11.* Hinc etiam HOMBORG. *c. Diſſ. c. 3. §. 5.* dictæ comparationi, utut omnibus requiſitis inſtructæ, in criminalibus hunc ſolum effectum tribuit, quod operetur indicium ad torturam ſufficiens. Nobis tamen vero videtur ſimilius, ex literarum collatione, ad præſcriptum Legum facta, plene poſſe Inquiſitum convinci, modo aliæ circumſtantiæ eundem gravantes concurrant, ita, ut arbitrio Judicis multum hac in parte tribuendum ſit, prout recte judicavit ANTON. MATHÆI *in Tr. de Criminib. L. 49. t. 15. c. 5.* eumque ſecutus HARPRECHT. *Vol. Nov. Conſ. 83. n. 106. - 108.* *Add.* L. B. de LYNCKER. *Reſponſ. XXX. n. 1. 2.* ACTA *Handel. p.* Certe etiam tortura res eſt fragilis & periculoſa, & quæ veritatem fallat, & ideo quæſtioni fidem non ſemper, nec tamen nunquam habendam eſſe dicitur in *l. 1. §. 23. ff. de Quæſtion.* Quemadmodum igitur, qui in tortura delictum imputatum confeſſus eſt, licet forte ex impatientia doloris & cruciatus, condemnatur: ita quoque, qui inſtituta literarum comparatione, convictus eſt, ſe inſtrumentum, quod delictum continet & prodit, manu ſua ſcripſiſſe, non inique condemnatur, quamvis forte ſemel iterumque iſta collatio fallere poſſit. Alioquin ſtatuendum foret, nunquam reum condemnari poſſe, niſi confeſſum: nam & depoſitiones teſtium falſæ eſſe poſſunt, prout jam ſupra §. 8. monitum eſt.

§. XXVII.

Sed propoſitæ mihi brevitatis memor vela heic contraho, atque ab æquo Lectore, ut quæ ſtudio ſolum veritatis dicta & loco Speciminis Inauguralis exhibita ſunt, in meliorem partem interpretari non dedignetur, quâ par eſt humanitate, contendo.

F I N I S.